



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. III. Apparatus mediocris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

specu-  
lum spi-  
ritua-  
le.

2.  
Licitæ  
volupta-  
tes, etiam  
in matri-  
monio,  
quæ rati-  
one ad-  
mitten-  
da.  
\* Moni-  
tum An-  
geli Ra-  
phaëlis  
Tob. 6.  
hic in-  
culca-  
tur.

pendis, & eis nimium deditus es, nondum satis intelligis te hic advenam & peregrinum esse.

Fortè mihi dices, Uxorem habeo, & quid faciam? Ad hoc ego: Urere conjuge tuâ castè, nec turpiter quidquam agas, neq; transgrediaris licentiam in lege DEI concessam: & si cûra est propagandi liberos, \* effrenata tamen libidinis luxuries vitetur. Memineris te non pecus esse, sed hominem ratione præditum. Felix est vir verè spiritualis, qui interdum experiri meretur, quantum delectatio cælestis & divina terrenam carnalem delectationem superet atque excedat. Felix, qui carnis gloriam & sæculi pompam atque claritatem fidelibus oculis aspicens, agnoscit eam nihil esse: Et reverà illa similis est fosculo qui mox decidit ac marcescit.

### §. III. APPARATUS MEDIOCRIS.

Modus in  
externis  
rebus te-  
pendus.

Vanitatem, lasciviam, superfluitatemque illicitam in vestimentis & supellectili ne exquiras: sed modum ac mediocritatem pro tuo statu amplectere.

### §. IV. CORPORALIS REFECTIO.

1.  
Corpora-  
lis refe-  
ctionis  
tempera-  
tiã sine  
lautitiis  
& exces-  
su.

Sis in sumendo cibo & potu moderatus, atque ab inhonestâ voracitate, sensualisque voluptatis aucupatione alienus. Si fortè ministrantur escæ simpliciores ac rudiores, nō ob id patientiam & pacem cordis tui murmurando amittas: sed ea, quæ à Deo dantur & providentur, sume cum gratia-

rum actione. Etiam si exquisiti- res epulæ administratæ fuerint, curam tamen carnis in desideriis ne feceris, nec inhæreas terrenæ delectationi, quàm sentis. Pudeat verò te quærere lautitias præter rationem & justam necessitatem, cum Dominus tuus Jesus Christus felle & aceto pro te potatus fuerit. Judica te indignum qui vel panem atrum percipias.

Quando ingluvies & inordinatus appetitus te acrius sollicitat, cogita quàm citò transeat, & quàm perniciofa sit blandiens voluptas. Certè si tu illam effrenatè secutus fueris, atq; expleveris, eâ transactâ omnino dolere debes: si verò pravam cupiditatem propter Deum refrenaveris, teque mundum servaveris, gaudebis utique in conscientia tua. \* Ut autem animi devotionem inter edendum in te alas, potes (si impeditis) buccellas, quas sumis, intingere mente in pretioso sanguine Christi, & è roseis Vulneribus ejus potum haurire. Potes etiam, dum manducas, ruminare hæc verba: *Virtus divini amoris tui, dilecte mi Jesu, me tibi incorporet & intimè uniat.* dum verò bibis, ista: *Dulcedo divine charitatis tua, amantiissime Jesu, influat in intima mea, & penetret totam substantiam meam, ad æternam laudem tuam.* In locis tamen in quibus sub refectioe recitatur sacra lectio, debes his quæ leguntur convenienter intendere, si ea intelligis.

Quòd